


**Programma Rectoris Academici, Johannes Quistorpius, D. Theol. Prof. P. ...
Super inopina morte, Citissimi infantis Henrici, Filioli Viri ... Dn. D. Georgii
Hegenwaldi, Icti, & Causarum in foro Patroni Clarissimi : P. P. Rostochii d. XIV.
Nov. Anno M. DC. LXII. ...**

Rostochii: Kilius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770858465>

Druck Freier  Zugang



J. Qvistorp, J.,
in G. Hegenwald.

Rost, 1662.

6.

PROGRAMMA 113
Rectoris Academici,
JOHANNIS QVISTORPII, D.

Jeol. Prof. P. & Pastoris Dominicæ

Super inopinâ morte,

Citissimi infantis

HENRICI,

FILII

Viri Amplissimi & Consultiſſimi
DNI. D. GEORGII HEGENWALDI,

JCTi, & Causarum in foro Patroni

Clarissimi

P. P. Rostochij d. XIV. Nov.

Anno M. DC. LXII.



Conveneris fiet h. I. in Æde
Mariana.

☉ (o) ☉

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

Bernhardus in Medit. C. 3.

Certum est, quod morieris, sed incertum
est quandò, aut quomodò, aut ubi.
Quoniam mors ubique Te expectat: tu
quoque si sapiens fueris, ubique
eam expectabis!





RECTOR

Academiae Rostochiensis

D. JOHANNES QUISTORPIUS.



U primuses, Amplissime
DN. D. HEGENWALDI, in-
sperato vulnere domesti-
co faucius, in hoc meo
Rectoratu, qui solamen
publicum abs me requi-
ris. Memento, nemini un-
quam mortalem hanc vitam viventi, illam
contigisse felicitatem, quam non infortuni-
um aliquod, moeror & tristitia, aliquando
interturbarit. Hæc enim omnibus nobis
lex dicta est, [quod vel Ethnicum lux rectæ

A 2

rati-

rationis, & omnium temporum experientia docuit,] ut voluptatem moeror comes consequatur. Non necesse est, prolixè exemplorum variorum recensione hoc comprobare, quum nemo, cui vel sanum sinciput est, id negare ausit: & si vel maximè faciat, quem non ipsa experientia abundè refutet. Unum saltem hoc attingere placet. Quæ major felicitas, maritalem vitam agentibus, contingere potest, quam liberos ex se natos, sanos, incolumes, & ad pietatem, aliasq; virtutes grassantes viam cernere, quos non tantum, à se magnis laboribus partarum, vel à majoribus acceptarum opum hæredes, generis sui ornamenta, sed & in gaudiis olim cœlestib⁹, socios habituri sint? Verum nec perpetua nec sincera est, quam ex hac expectata felicitate percipiunt, voluptas: simul enim ac nati sunt liberi, illis parentes distinentur curis: ne ex se nati cum lacte meretricio, mali aliquid imbibant,

bant; ne mercenariæ obstetrices eos incuri-
osè opprimant; (undè eheu! haud discrepat
multum Rostochium, abs Bethlehemitico
infanti cidio, **Und noch manche Kugel ihr
Kind beweinet / und wil sich nicht trösten
lassen!**) ne variis morbis, quibus tenera
illa obnoxia est ætas, infestentur; ne
quandò succrescunt, vel naturæ corruptæ
ad pravitatem inclinantis motibus, vel illo-
rum quibus cum agunt, seductionibus cor-
rumpantur: ne ubi succrevere, & ad ali-
quam frugem, non sine magna parentum
cura & sollicitudine pervenere, immatura
& nondum speratâ morte pereant. Si quid
horum, præter spem parentum eveniat,
proh Deum immortalem, quanto illi in
mœrore, quanta in tristitia versantur! Qui
exaudiuntur gemitus & querimoniam! Qui
cernuntur fletus & lachrymæ! ut si volu-
ptas illa quam ex natis, & sic satis feliciter
succrescentibus conceperunt, cum mœro-
re,


re, quem interveniens non expectatum
infortunium peperit, committatur, illa
præ hoc non tantum vilescat, sed & plane
nihil fuisse videatur.


Hanc voluptatis, juxta ac mœroris vi-
cissitudinem, & alternantes lætitiæ tristi-
tæque vices, expertus quoque es, Excel-
lentissime DN. D. GEORG. HEGENWALD,
cum conjugē piâ MARGARETA **Bolten** / pri-
vignâ DNI. THEODORI SUTERS, Cons. Rei-
publ. Rostochiensis splendidissimi. Subsul-
tabatis gaudio, quando hujus currentis An-
ni, d. XXV. Febr. horâ X. nocturnâ, filium
ex vobis natum vidistis, quem, ubi per Sac.
Baptismi lavacrum Christo inferebatur,
HENRICUM nominari curastis,
Tacitum sæpè pertentantur pectus gaudia,
quando eundem blando risu & balbutiente
lingua, vos parentes exhilarantem experti
estis. At, ô quam non fuit hæc perpetua,
voluptas! quam citò risus in lachrymas
com-


cōmutatus est! Quæ vestra est Parentes pro-
bitas, ne frangi vos mœrore patiamini, vo-
luntati Divinæ vos submitte, summo re-
rum Arbitro visum fuit, plus quam seme-
strali hac vos lætitia & voluptate exhilarare,
eidem placuit, filiolum conspectui vestro
subitò subducere, & vos ulteriore illa, quam
ex ipso rectè & pie succrescente, expectaba-
tis voluptate privare. In ejus voluntate,
quæ non nisi bona est, acquiescetis. Si quæ
est hodiernorum temporum facies consi-
deratis, si quæ nos premunt, quæque in pē-
dent mala mente perpenditis, non nisi benè
cum filiolo vestro, actum esse affirmabitis.
Ille miseriarum expers, periculorum secu-
rus, angelorum & beatorum consortio mi-
sta, æterna carpit gaudia. Nos qui super-
vivimus, spem inter metumque dubii, quid
nos maneat hæremus. Qui vos morte
separavit Deus, ille vos aliquando, ad vi-
tam æternam, juxta cum filio resuscitatos,
dolo-

vicissim conjunget, & inter mutuos ample-
xus, æternis gaudiis beabit.

Nos qui hic loci vivimus, Cives Aca-
demix, quantum in nobis est, minuamus
dolorem & moerorem parentibus. Fiet id,
si frequentes funus iverimus. Quod ut
omnes faciatis, & ad horam Primam emor-
tuo infanti illud officium præstituri, in tem-
plo Mariano conveniatis, iamicè rogo &
hortor. P. P. Rostochij XIV. Nov.
Anno 1662.







bant; ne mercenariæ obstetrices
osè opprimant; (undè eheu! hau
multum Rostochium, abs Beth
infanti cidio, Vnd noch manch
Kind betweinet / vnd wil sich
lassen!) ne variis morbis, qui
illa obnoxia est ætas, infest
quandò succrescunt, vel natur
ad pravitatem inclinantis motib
rum quibus cum agunt, seducti
rumpantur: ne ubi succrever
quam frugem, non sine magna
cura & sollicitudine pervenere,
& nondum speratâ morte pere
horum, præter spem, parentu
proh Deum immortalem, qui
moerore, quanta in tristitia ver
exaudiuntur gemitus & querin
cernuntur fletus & lachrymæ!
ptas illa quam ex natis, & sic
succrescentibus conceperunt,

A 3

